

52. Neque Deus Joël. 2. v. 16. præcipit infantibus contritionem & dolorem de admissis à se flagitiis: sed jubet, ut parentes, poenitentiam de peccatis admissis acturi, suos etiam parvulos colligant, secumque sumant, tum ut ex eorum vel aspectu ad ferventiores fletus & preces, pro avertendis suppliciis, aliàs imminentibus, fundendas ipsi concitentur: tum ut & infantes ipsi à poenis impendentibus præserventur: alioquin & infantes cum parentibus, ob peccatum poenis involvuntur. Quamobrem & nostro tempore Christiani parentes sæpiuscule suos parvulos adducunt in templum Domini.

53. August. Tom. 7. l. i. de peccat. merit. & remiss. c. 19. p. 282. in alio sensu, de quo hic nullatenus loquimur, infantibus poenitentiam tribuit: Si, inquit, infantes propterea rectè fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur; cur non prius etiam poenitentes habentur, cum per eorundem verba gestantium, Diabolo & huic seculo renunciare monstrantur &c. Hæc ille. At Scriptura S. docet, quod infantes baptizati, in seipsis fidem justificantem habeant, ut alibi probavi. Si ergo contritio illis verè competit, tum in seipsis erunt contriti, habentes agnitionem peccatorum &c. Quod & ipse Augustin. negat. Hæc de primo argumento.

54. II. Sumo ab exemplo Esavi & Jacobi, Rom. 9. v. 11. Dicuntur enim ibi nondum nati, nihil neque boni, neque mali fecisse, sc. ἀνεργητικῶς. Alias circumcisi Esau & Jacob in foedus Dei vere fuerunt assumpti, & filii Dei facti. Spiritus S. igitur in illis circumcisis habitans, excitavit in illis fiduciam beantem, accenditque in iis motus bonos, infantibus congruentes. Haud aliter perhibentur infantes isti nihil mali fecisse; non ratione negata naturalis pravitatis; quia in Adam omnes peccavimus, Roman. 5. v. 12. neque respectu absentium malarum motionum & inclinationum; quia peccatum originis, utpote malum & venenum ἐνεργητικὸν, ab his κινήσεσιν est per sui naturam insegregabile; sed respectu praelectivarum operationum; quippe quæ in infantes, sive nondum natos sive jam generatos, nondum quadrant. Confer August. Tom. 7. lib. 2. contra Pelag. & Cœlestium c. 31. p. 340.

55. III. Peto à testimonio Pauli Rom. 5. v. 14. qui inquit: Imo mors regnavit ab Adam usque ad Moysen, in eos quoque, qui non peccaverant Ἰπὶ τῷ ἐπιχώματι ad similitudinem transgressionis Adam, qui est typus illius, qui erat futurus. Nota. i. Verbum regnare. Vult enim Paulus dicere, jam inde ab Adami lapsu, usque ad promulgationem legis Mosaicæ, mortem non tantum fuisse, sed etiam instar Regis tyrannici sæviisse.

2. No.